




Klarin fehlte Nr. 8

am 10.4.1917.

Suchier.

71



2

DISSERTATIO  
MEDICO - CHIRURGICA INAUGURALIS  
DE  
**FISTULA LACRYMALI**

QUAM  
DUCE ET AUSPICE NUMINE SUPREMO  
Decreto & Authoritate

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
*ACADEMIÆ BASILEENSIS*

Pro summis in Arte Medicâ Honoribus & Privilegiis  
Doctoralibus ritè consequendis

*Solenni Philiatrorum Examini*  
*submitter*

**JOH. CASPARUS SCHOBINGERUS**  
Sangallo - Helvet.

Ad Diem 31. Aug. MDCC XXX. Horis Locoque consuetis,



BASILEÆ,  
Typis JOH. HENRICI DECKERI, Acad. Typogr.

DIGESTA  
MEDICO-CHIRURGICA INAGURATIO  
LIAM XIX DALLA PICTA  
INCLYTÆ  
REI PUBLICÆ  
SANGALLENSIS  
AMPLISSIMO  
SENATUI

hanc inauguralement dissertationem  
sacram facit

subiectissimus Cliens

Author.

# Amplissimi Viri!

**N**otius Vobis est, quam ut afferi verbosius debeat, quantum Respublica emolumenti in promovendis ac tuendis studiorum alumnis percipiat, quanti referat cives habere omni doctrinæ & eruditionis genere imbutos. Tantus hinc est amor vester benevolentiaque erga juvenes, qui à prima juventute scientiis & artibus præstantioribus operam navarunt, ut illos non solum vestra tutela Patrocinioque protegatis, sed & largissima munificentia vestra tam publica quam privata sublevetis, & ad acquirendam solidæ eruditionis laudem excitetis. Quemadmodum itaque in promovenda civium vestrorum salute & felicitate tantum estis occupati, sic grata & devota mente celebrent beneficiorum magnitudinem Cives vestri, æquitas exigit. Et quum vestrīs *Amplissimi Patriæ Patres* beneficiis innumeris & munificentia cumulatus fuerim, ingratitudinis verò vitium semper maximè detestatus, ut aliquo signo memoria ejus elucescat, Vestro Amplissimo & Illustri Nonni fœtus meos dicare non erubui, ut grati animi non omnino quale velim sed quale possum hoc tempore exstet monumentum. Quum omnia mea Vesta sint, quandoquidem ego me Vobis quicquid sum & quicquid in Viribus meis positum est, totum consecravi, tum verò hic primus Exercitiorum medicorum fœtus à me jure videtur dicatus; impulit enim observantia, ut omnibus quoque, qui hæc legent, quid à tantis Mæcenatibus acceperim, signifi-

carem. Interea *Amplissimi Patrie Patres*; *Macenates Optimi*, summa quæ sunt, omnia me affecutum putabo, si oculis gratiæ plenis levidense hoc munuscum suscipere velitis. Optarem, ut Vestrae de me expectationi ex aſſe responderet, quod cum minus sperare ausim, confido tamen *Viri Amplissimi* Vos pro summa Vestra humanitate & benignitate conatus istos meos haud spreturos esse. Si Vos saltem de summâ mea ergo vos observantia & de obſequentiſſimo animo in perpetuum certos perſuasos que reddat, nihil erit, quod votis magis expetam. Summus rerum omnium Moderator Vos, *Viri Amplissimi*, ad Civitatis nostræ felicitatem, studiorumque incrementum quām diutissimè quāvis bonorum affluentia beatos reddat, & ab omni temporum injuria tutos p̄fert. Ita valete atque porro me gratia patrocinioque vestro fovere pergit.

## Virorum Amplissimorum

ad aras usque obſequentiſſimus

atque fidelissimus Cliens

Joh. Casparus Schobingerus.

Pro-



## Proœmium.

Uando nemini Medicinæ Sacra  
adire fas est, nisi illi, qui prius  
publica privataque eruditionis suæ  
Specimina ediderit, non leviter me  
decreto Gratosissimæ Facultatis  
Medicæ in alma hac Universitate jussa exequi  
conantem torsit desiderium, utile jucundumque  
Lectoribus meis Thema proponendi, præcipue  
dum perpendebam Dissertationum de innume-  
ris in arte nostra occurribus rebus editarum  
copiam, nec non vulgi inaudita plerumque &  
vana potius quam veritates frugiferas petentis  
Studium. Quisque pro Ingenii sui modulo  
sibi gratam materiam eligit, tractat ac publicæ  
Ventilationi subjicit, secundum illud Petronii:

*Accipiat quod quisque velit, non omnibus  
unum est,*

*Quod placet, hic Spinæ, colligit ille Rosas.*

A

Ego

\* \* \*

Ego autem *Fistula lachrymalis Historiam*  
*curamque* præ alia licet magis grata materia,  
publici Speciminis loco, tractandam ideo suscep-  
pi, quia hic morbus non omnibus satis per-  
spectus, porro affectarum partium notitia Ana-  
tomica Physicaque à pluribus negligentius ex-  
planata, neque Methodus medendi haec tenus  
usitata morbo pertinaci par est; certiorein pro-  
inde, promptiorein, neque ulli præter exercita-  
tissimum Spectatissimumque Præceptorem Do-  
minum St. Yves antea cognitam morbi hujus  
curationem in animum induxi speciminis loco,  
eodem candore, quo Vir humanissimus me  
meosque Commilitiones docuit, in publicum  
edere. Facio hoc eò libentius, quoniam scio  
laudatissimum Virum conatus meos haud ægrè  
laturum, præmissa tamen prius partium anato-  
mica descriptione ex exactissimis anatomicis de-  
monstrationibus Viri celeberrimi, & ob peritiam  
anatomicam nunquam satis laudandi Domini  
Winslow, hausta.

§. I.



## S. 1.

**A** Gilops, sive *Fistula lacrymalis* est purulenta solutio  
continui in sacco ejusdem nominis, pus fundens pro  
admissa varia lacrymarum quantitate, copia & con-  
sistentia diversum, modo per alterutrum, plerum-  
que autem per inferius punctum lacrymale, aliquan-  
do etiam in narium cavum ejusdem lateris sponte, ut plu-  
rimum tamen presso prius sacco effusum. Quæ quidem sit  
quandoque sine tumore, rubore, ulcere, callo cutis, carie ossium  
subjacentium aliaque Vicinarum partium noxa; quandoque ve-  
rò ex modo dictis quædam, subinde cuncta simul eam concomi-  
tantur. Hæc Medicamentis vel operatione Chirurgica plerum-  
que curari potest, sed pro concurso symptomatum facilius diffi-  
ciliusve.

## S. 2.

Ex data brevi morbi notione patet, 1º. *Natura mali*, quæ  
est dispositio ulcerosa partis affectæ, cum vel absque memoratis  
Symptomatis Th. I. 2º. *Subjectum*, sive pars affecta, saccus  
nempe lacrymalis lœsus, pureque corrosus. 3º. *Morbi Species*,  
quæ à Varietate symptomatum, variis mali ipsius gradibus, du-  
ratione, ægrotantium haud temnenda temperamentorum di-  
versitate, alisque circumstantiis vel ægrotum vel morbum respi-  
cientibus peti debent. 4º. *Distinctio ab omni alio morbo*; est  
enim purulenta lacrymarum per puncta lacrymalia, vel (quod ra-  
rissimè contingit) inferius facci orificium in nares hians ejectio,  
sive effusio; differt ergo his characteribus ab *Epiphora*, *Lippitu-  
dine*, *Anchylope*, *Sacci callo* vel *simplici obstruzione*, *Ozæna* &  
*Cancro*. 5º. *Causa*, quæ est omne illud, quod hic loci lacryma-  
rum vias obstruere, ulcus producere, & lacrymas cum pure con-  
fundere

fundere valet. 6. *Hujus cause effectus*, quam sequitur purulentæ facci corrosio, puris & lacrymarum confusio, harum impeditus ad nares transitus, regurgitatio ad superiora, stagnatio earundem in ipso loco affecto, ab acquisita hinc paulatim acrimonia vicinarum partium infectio, corrosio, destruacio, quæque ex modo recensitatis nasci possunt incommoda. 7o. *Semeiotice*, quo ad *diagnostica & prognostica*. Emanans scil. per aperturas facci pus, lacrymæque purulentæ præsens arguunt malum; Pus si copiosum acreque est, si affectus diu duraverit, vel à violenta causa ortus fuerit, vicinarum partium infectionem, læsionem, difficiliorem hinc curam ostendit. 8o. *Curatio*, quæ est vel medica, vel chirurgica, facilis vel difficultis, vel aliquando omnino impossibilis. Quando possibilis est, indicat detergendum, mundicandum & consolidandum ulcus esse; Lacrymarum porro vias obstructas esse referandas, vel novas parandas, & liberum lacrymarum iter conservandum, haud neglectis interea cæteris adjunctis symptomatibus, quæ cuncta medicamentis congruis, auxiliisque chirurgicis, pro morbi magnitudine variis præstanta sunt juxta illud Ovidianum:

*Cuncta prius tentanda, sed immedicable vulnus  
Ense rescindendum, ne pars sincera trahatur.*

### S. III.

Postulat materiae tractandæ ordo ac necessitas, ut modo re tensita summa Capita paulo accuratius pertractemus; Naturam mali quod spectat, jam ex data morbi descriptiōne descriptio nisque explicatione hæc patet. Fistula in genere quodvis sinuoso sum callosumque ulcus à Chirurgis dicitur, idque ab omni Medicinæ ævo sic vocatum fuit. Sinus ac callus itaque fistulæ essentiam sive naturam constituant; quod autem una fistula ab alia differat, id a situ mali affectæque partis sublata functione, nec non inde pendentium Symptomatum indeo, habita simul adjacentium partium ratione petendum est. Lacrymalis autem Fistula ab alio sibi simili morbo discrepat 1o. ratione loci, ob sider

\* \* \* \*

sicut enim oculi cānthus majorem, sedemque suam fixam ha-  
bet in ipso saeco lacrymali, utpote parte p̄cipue, affecta.  
20. Ratione Symptomatum §. 2. No. 6. recensitorum. 30. Ra-  
tione curæ, quod hic maximè prospiciendum sit, ut lacryma-  
rum interrupta via, quantum arte fieri potest, quām libera ex-  
peditaque reddatur, reliqua communia cum quaque fistula ha-  
bet, patet itaque fistulæ lacrymalis natura.

§. IV.

Mali sedes est Saccus lacrymatis, cuius nec non reliquarum  
ipsi adjacentium partium anatomica disquisitio plurimum ad  
cognoscendum tractandumve morbum confert. Harum partium  
structura functioque sic se habent. In utriusque orbitæ superio-  
re anterioreque parte format Apophysis externa ossis frontis  
prope angulum oculi minorem foveam minimi digiti extremum  
admittentem, in qua glandula ex conglomeratarum genere,  
lacrymalis vocata, conditur; plurimis simplicibus constat hæc  
glandulis in glomerem coactis ac communi membrana cinctis.  
Harum numerosi rivuli excretorii invicem conjunguntur, & tan-  
dem 6. vel 8. exiles longosque cellulofam albugineæ substantiam  
percurrentes ductus, qui valde conspicui in bobus, in homine  
vero vix visibiles sunt, constituant; Hi in Brutis totidem for-  
minibus seræ aditum concedentibus, albugineam pertundunt,  
stillantque perpetuè toridam, pellucidam ac dulcem à minori-  
bus rivulis acceptam lympham lacrymarum nomine cognitam,  
sum autem maximè, quando oculi globus vario suo motu glan-  
dulam hanc premit vel movet. Hæc lympha lubricando globo,  
corneæ glabritiem, pelluciditatemque conservando maximè inser-  
vit. Solet enim oculus hæc deficiente Xerophtalmia coripi;  
quando verò acris est, vel nimis abundans Hygrophthalmia aut  
Epiphora oritur; spissitudine peccans obstruit vias mox descri-  
bendas; qualicunque autem modo illa vitiata sit, oculus cor-  
nea obfuscata non acutè cernit, difficulter ac cum aliquali do-  
lore moyetur, nec lucis radios patienter fert. Glandula hæc la-

crymalis sanguinem arteriosum à Carotidis internæ ramo per foramen nervi optici ia orbitam tendente multosque in surculos diviso accipit, venosumque post secretionem revehunt venæ ad sinum ophthalmicum. Nervos impertinent surculi ophthalmicorum Willisi, qui quintæ conjugationis primi rami fiboles sunt.

## S. V.

Oculus limpido insipidoque hoc rore continuò ita irrigatur, ut superfluæ in genas caderent lacrymæ, nisi provida natura partes hic constitueret, quæ has colligerent, ac per proprias admiratione dignas vias singulari mechanismo tandem ad narium utramque cavitatem mitterent, quod ita contingit: connectitur Albuginea sive conjunctiva tunica partim oculo ea in parte, qua cornea pellucida se scleroticae jungit, partim utriusque palpebræ interiori limbo. Ita globus oculi mediante hac tunica laxè palpebris adhæret, hinc in toto ambitu cavum quoddam recipiens fluidibus lacrymis inserviens formatur. Dum oculus se movet, affricatur globus palpebris, & hoc subtillissimo glutine lubricatur, iterumque proin colliguntur lacrymæ, quæ clausis palpebris versus oculi canthum majorem, ope musculi constrictoris palpebrarum, ac ipsorum tarorum artificiosa conformatio ne pelluntur; nam superior hæc cartilago inferiori latior simulque tenuior est, ac invicem clauso oculo sic adaptantur, ut fulcum sive semicanalem nasum versus hiantem lacrymarum cursum dirigentem, efficiant. Tarsi sibi invicem neæuntur ope quorundam ligamentorum; nexus hujus duo sunt loci, quorum ille, qui nasum respicit major canthus, ille qui tempora, minor canthus vocatur. Tarorum interiora extrema non attingunt oculi canthum majorem, sed aliquot lineis ab ipso semota valde attenuantur, formantque duplicitis Epiphyeos quasi speciem, quæ recipiunt duos exiles ductus lacrymales suis orificiis, ubi tarsi desinunt, oculum versus hiantes, ex his adunatis alveus sive sinus ac tandem ipse foccus lacrymalis, osse canali inclusus, formantur. Sed antequam harum partium anatomicam descriptionem suscipiam, notandum adhuc est, in majori oculi cantho

cantho glandulam sive carunculam reperiri. Quid illa sit non adeo inter anatomicos constat, nam à nonnullis Zootomia deceptis pro vera glandula, ab aliis pro caruncula lacrymas absorbente, à plurisque autem pro corpore, cuius præcipuus usus sit, ad lacrymas versus modo dicta orificio pellendas habetur. Experientia hoc saltet docet in diabroso oculum continuè lacrymas fundere, id etiam contingit, dum hæc pars alio morbo infestatur, vel quando noverca natura illam quibusdam hominibus denegavit, quod tamen rarissimum est. Scater dicta caruncula plurimis exquis, conspicuis tamen corpusculis Sphaericis, glandulosis illis, quæ Meybomius in interioribus palpebrarum limbis detexit, simillimis; si comprimatur, consimilem, crassum sebaceumque humorem vermiculorum in morem exeuntem reddunt, nec alio modo ab illis differunt nisi situ, quoniam Meybomianæ glandulae suos ductus excretorios in ipsa tarsum interna superficie quasi insculptos habent. Nonnunquam pilos quosdam in caruncula hac reperi, quod mirum mihi videbatur, quoniam horum eo loci non tantum nullus videtur usus, sed è contrario, si copiosi adessent, summam molestiam creare possent. Præter hanc carunculam oculatissimus Anatomicus Morgagni valvulam quandam, quam semilunarem vocat, detexit, quæ aliud nihil est nisi quædam duplicatura membranæ conjunctivæ dirigendis quoque lacrymis versus dictas aperturas inserviens. Valde conspicua est illa in avibus, quibus alium simul præstat usum, oculum nempe cum rapidissimo motu in æcia spatio feruntur, obvolvit tequitque.

### S. VI.

Puncta lacrymalia ductuum ejusdem nominis sunt orificia ad marginem palpebrarum eo præcisè loco, ubi cartilagine tarsi finiuntur, sita; manifesto gaudent motu constrictorio dilatatoriove, hinc nonnulli his partibus Sphincteres, quorum ope hos motus peragi dicunt, tribuunt, hosque aliquando paralyticos fieri statuit Wollhousius. Nonnunquam à variolosa Pustula, à nimis vicino hordeolo, à lapillis, à lupia, & ab aliis propinquis tumoribus,

inoribus, inversaque palpebra varie afficiuntur, ac in illorum functione perturbantur; setis, liquoribus injectis ipsisque lacrymis jam explicato mechanismo huc determinatis aditum facile, modo nullum recentiorum Symptomatum obster, concedunt. Hæc autem orificia in duos exiles canales, Ductuum lacrymalum nomine insignitos desinunt, suntque ejusdem ac saccus lacrymalis substantia; superior obliquè ad palpebrarum musculi constrictoris tendinem vergit, inferior horizontali situ sub eodem tendine se superiore jungit, ibidemque ambo sacci lacrymalis ampliorem, superioremque partem, à Gallis *La poche du sac lacrymal dictam*, constituant; arctior angustiorque factus saccus, dum canali nasalí includitur, demum inter laminam spongiosam narium inferiorem & Apophysin ossis maxillaris nasalem paulo amplior factus ac calami scriptorii rostrum haud male referens terminatur. Forti lumenbricâque constat descriptus saccus membranâ, quam duplicum, ac quoad Structuram membranæ Schneiderianæ haud dissimilem esse, in publicis Lectionibus statuit vir in Anatome exercitatissimus Dom. Duverney Horti Regii Parisiensis, Anatomiae ac Chirurgiae Professor meritisimus. Interior sacci hujus lamella juxta citatum virum multis glandulis lubricum humorem fecerentibus referta est. Saccus idem circa exteriorem ac anteriorem partem proprio exiguo musculo circa os planum orto fibris suis supra dictam sacci partem sese extendente gaudet, quem strenuus Anatomicus ac Chirurg. D. Duverney Horti Regii Parisiensis, Anatomiae & Chirurgiae operatoriae Demonstrator publicus, modo dicti Viri celeberrimi Patruelis, dilectissimus Praeceptor meus primum invenit, & mihi pluries in variis subjectis demonstravit. Ex data hac partium structura & functione luculenter patet, pulsas ad aperta ostia ductuum lacrymalium lacrymas iisdem administrulis in exiles hosce ductus ferri, indeque proprio illarum motu per declive iter tandem ad utrumque narium cavum delabi.

Hanc lacrymarum protrusionem, impulsionem, ulteriorem progressum juvant 1º. Musculi orbicularis contractio. 2º. Palpebrarum frequentes motus. 3º. Alterna oscularum patentium contractio & dilatatio. 4º. Ductuum propria elasticitas, situs & directio.

◎ ◎ ◎

**rectio.** 5°. Tendo musculi orbicularis facci ampliorem superiore remve partem premendo lacrymas suā tensione ulterius protrudens. 6°. Similis actio musculi proprii sacco lacrymali inserti nondum ab Authoribus descripti. 7°. Declivis facci situs. 8°. Via à nullo ambiente Corpore impedita, proprioque osse canali defensa, libera summèque declivis.

### S. VII.

Sed ipsius palpebrarum musculi constrictoris, nec non canalis nasalis structura examen quoque meretur. Constat prior plurimis semicircularibus fibris, ab una ad alteram palpebrarum commissuram tendentibus, in totidem ibitendines finitis, hinc in totidem musculos dividi pro cujusque lubitū posset. Singulæ enim palpebræ, quarum quatuor sunt, suum habent musculum constrictorem, horum tendines circa palpebrarum utrasque commissuras concurrunt, hacque ratione juncti ambo musculi palpebrarum constrictorem musculum constituant, cuius officium ex ipso nomine patet. Vidi sectas has tendineas fibras orbicularis musculi nullo subsequentे damno, modo palpebrarum commissura salva integraque extitit, cum tamen omnes Ophthalmojatri, Operatoresve moneant, Tyronibus suis inculcent, hanc partem in ipsa operatione fistulae haud dissecandam esse. Altera describenda pars canalis nasalis nomine insignitur; is verò partim ex tenuissimo osse pellucido, os unguis propterea vocato, partim maxillari solidiore osse, duplice Tabula cum interposita diploë gaudente componitur, duobus hisce ossibus constructus canalis tegit aliquam partem cavitatis narium, utraque ossa spongiosa, ossisque Ethmoidis quasdam cellulas. Initium canalis planum ac in figuram cochlearem sulcatum, prope os planum situm, facci lachrymalis ampliorem superioreque partem recipit, (a) pergit deinde forma canalis perpendicularis.

B

cularis:

(a) Cutis subjectusque fucus lachrymalis hic loci corrupto osse unguis pertunduntur; locus hicce apprimè considerandus est, nam imperiti Operatores aliquando osse unguis vice os planum ipsamque sic orbitam ignari perforant, ut hoc mihi alisque Chirurgicarum Encheireis tyronibus, dum in Nosodochio Parisiensi exerciti gratia fistulae operationem in cadaveribus instituebamus, contigit.

cularis, ac inter laminam spongiosam inferiorem, & ossis maxillaris processum in cavernam nasi protensum terminatur.

## §. VIII.

Vasorum ad recensitas partes vitalem laticem vehentium, atque vice versa ab ipsis revehentium decursum & conjunctionem ut describamus, supereft, quia haec cognitio quoque necessaria est, ut probat Cl. Hild. Cent. V. Obs. XVIII. qui refert Historiam ægri cuiusdam, cui imperiè aliquod horum vasorum sectum cum fuisset, visum miser amisit. Primi generis vasa arteriosa sunt soboles quarti rami Carotidis externæ, qui ramus nomen suum mutat pro locorum diversitate. Tria percurrit spatia & totidem nomina quoque obtinet, ab initio maxillaris, medio itinere, h. e. circa oculi canthum majorem angularis, ac circa finem frontalis vocatur. Pars media, de qua hic tractamus supra Apophysin nasalem ossis maxillaris sita versus oculi angulum majorem tendit, ibidemque in aliquos ramusculos divisa surculum in orbitam mittit, qui sacco lachrymali, carunculaeque ejusdem nominis, ut & conjunctivæ membranæ propagines impertit, ac postea anastomosi cum ramulis arteriosis ab interna carotide ad oculum distributis conjugitur, siveque vitalis liquor carotidis utriusque invicem commiscetur: Reliqui ramii musculo orbiculari, superciliorum corrugatori, frontalibus musculis, ipsique cuti implantantur. Venarum autem extremitates concurrunt in ramusculos, ex his in ramos, tandemque in truncum confluent, in cantho interno situm, quem venam angularis vocant, qui acceptum cruentum venæ jugulari externæ pluribus aliis ramis conjunctus infundit. Ordo autem distributionis, iter & mutatio nominis sere in omnibus se habent, ut de arteriosis vasis antea dictum est; hoc saltem notandum, mirum esse circa has variantis naturæ lusum, non esse eandem in omnibus subjectis harum distributionem; cæterum animadverti debet quosdam venarum harum ramos ad orbitæ fundum pergere, ibidemque cum aliis venis conjungi, heicque concursu suo alveum sive sinum formare, qui duræ Matri insertus sinus Ophthalmicus vocatur.

\*) II (\*)

vocatur. Nervos dictæ modo partes ab Ophtalmico Willisi , nec non superiori maxillaris ramo accipiunt.

§. IX.

Quas haec tenus in statu sano Anatomicè Physicèque vidimus perpendimusque partes, easdem tandem in morbo statu considerabimus, quatenus notitia hæc ad fistulæ lachrymalis diagnosis & curam necessaria est. Nam & hec consideratio præmittenda est; plura enim vitia morbida occurunt. 1º. Laxata obstruta, inflammata glandula lachrymalis. 2º. Lachrymarum varia vitia; abundans vel deficiens quantitas, diversa earundem acrimoniam, lentoque varius. 3º. Tumida, dolens, irritata, inflammatæ membrana conjunctiva. 4º. Palpebræ similiiter affectæ, ulceratæ, paralyticæ, inversæ aut malè figuratæ. 5º. Meibomianæ glandulæ obstructæ, inflammatae, tumentes, schirrhosæque factæ, si circa lachrymalium punctorum orisicia sitæ sunt. 6º. Tarsorum inversio, luxurians caro quæ palpebram hujusque tarsum invertit, vi-tiata figura tarsi, hujus & Palpebrarum vulnera. 7º. Carunculæ lachrymalis, valvulæque semilunaris varia vitia, exesa aut profusa deficiens aut in nimiam molem distenta, hujusque nec non dictæ valvulæ ulcera morbi variæ. 8º. Ocularum ductuum lachrymalium, ipsorumque ductuum diversi morbi, horum Spinætis Paralysis, canarium coartatio, punctorum & ductuum obstrutio ac ulceratio variolosis infantibus admodum frequens. 9º. Sacci lachrymalis amplioris superiorisque partis dilatatio peculiarem hic quasi mentiens herniam, harum partium ut & sacci ipsius compressio, obstrutio, dilatatio, vulnera, inflammatio, ulceratio, callositas. Si diversis hisce morbis adjungimus tumores, vulnera & ulcera, quæ externas internasque vicinas partes infestant, si cariem ossium, Polypos narium, sanguinis vitiösam diætheriu, tam Cacochymicam quam venereum & scorbuticam, scrophulosam, cancrosum &c. addis, nec non prægressos morbos, ut Rheuma Capitis, febres exanthematicas, Epiphoram, Lippitudinem, Anchylopen, Ozenam, &c. Morbi nostri causæ tam proxima quam antecedentes & remotiores patetbunt, innotescet enim



id omne quod lachrymarum liberum iter impedire, saccum obstruere seu ulcerare valet, fistulam lachrymalem producere posse. Nec ignorabimus omnes recensitos morbos suum hic, licet dissipari ratione, symbolum conferre. Quamvis enim ipsam fistulam non excident, Epiphoram tamen producere possunt. Ex Epiphora autem, praesertim si lachrymae acres sint, variae circa oculi angulum majorem obstructiones, inflammations & ulcerationes ori solent, quos morbos aliquando facci lachrymalis ulceratio ac ipsa fistula sequitur. Fistulæ lachrymalis itaque naturam constituant facci lachrymalis sinuosum callosumque ulcus, nec non lachrymarum purulentarum per superiora regurgitatio, quæ morbi hujus inseparabilis comes est, nisi per cutim ulcere erosam profluat, ubi igitur haec duo symptomata aderunt, ille morbus vera fistula lachrymalis erit, à simplici lachrymarum per alterutrum punctum lachrymale vel alium locum, effusione idè distingueda, quia prior casus ab artis peritis simplex facci obstructio, posterior vero oculus lachrymans vocatur. Ulceratio facci lachrymalis itaque fistulæ lachrymalis causa proxima est. Collectum vero in affecta parte pus, accumulataeque hic actiores lacrymæ causam materialem hujus morbi constituant: Quod autem haec duo symptomata producit, erit causa efficiens. Haec, quia morbum causamque proximam semper præcedit, à quibusdam antecedens, ab aliis vero remotior vocatur; ad hanc posteriorem classem plerique, si non omnes recensiti morbi, nec non perversus & rerum non naturalium usus spectant. Sic affecta pars fistulæque lachrymalis causæ omnes patent.

## §. X.

Hæ causæ diversissimæ, cum majore minoreve vi moraque in subjectum agunt, diversas quoque producent fistularum species. Hinc fistula lachrymalis recens est morbus vel in veteratus, occultus vel manifestus, simplex vel cum aliis morbis complicatus, perfectus vel imperfectus, benignus vel malignus, sanabilis vel insanabilis. Tot igitur differentiis totidem resurgunt fistularum species. Omnimodum simplicissima existit illa, quæ recens à levi causa

causa orta, levissima facci obstructio & ulceratio est, ubi nullus  
 ferè tumor, nulla cutis rubedo, nulla præsens Anchyllops, caries  
 nulla, ac os unguis adhuc integrum est. Quid magis autem ab  
 his conditionibus recedit fistula lachrymalis, eo difficilior erit  
 morbus. Priorem dilucidæ magis distinctionis gratiâ coecam, vel  
 haud prominentem, *fistula plate & borgne*, vocant. Sequitur  
 hanc altera species, quam ferè semper præcedit Anchyllops, in  
 hac circa oculi angulum majorem tumor aliquando in ulcus desi-  
 nens apparet, indicat hæc majorem stagnantium lachrymarum  
 acrimoniam, quæ tamen cutim nondum corrodit, nec os acri pu-  
 tredine sua inficit. Hæc progressu temporis in tertiam speciem  
 degenerat, veræ fistulæ characteres præ se ferentem, quod ex  
 cutis livore, exiguo apparente foramine, specillo aditum ad  
 ipsum saccum nasalem, os unguis, imo etiam ad ipsam aliquan-  
 do narium cavitatem concedente constat. Dum ita constituta est,  
 fistula perfecta vocatur. Si quædam lues vel alias morbus fistu-  
 lae lachrymali se associat, retinet hæc peculiaris illius morbi no-  
 men, hinc venerea, scorbutica, scrophulosa &c. vocatur, prout  
 hæc vel illa sanguinis intemperie ad hujus morbi productionem  
 ansam præbet. Fistulae lachrymalis morbus affinis alias, ubi  
 nempe presso tumore nullum pus, sed limpidae salem lachrymæ  
 per alterutrum punctum lachrymale excent, ab Anello Sereniss.  
 Duci Sabaudia Matris Ophthalmojatro facci lachrymalis Hy-  
 drops nominatur. Huic haud multum dissimilis morbus, quem  
 facci lachrymalis Herniam vocat citatus Anellus, facci hujus sum-  
 ma pars gallico nomine, *la poche du sac lachrymal insignitæ*  
 summa est dilatatio, quæ cum vel sine hujus partis ulceratione  
 quoque contingit. Reliquæ fistulæ lachrymalis species, quas bre-  
 vitatis studio omisi, petendæ sunt 1º. *Ab ipsius mali facie, na-*  
*turave diversa, 2º. à diversis causis. 3º. ab adjunctis Symptomati-*  
*bus. 4º. à morbis intemperiei.* Vidi enim fistulas lacrymales, quæ  
 ophthalmiam, quæ Epiphoram, quæ Ectropium, quæ Anchyl-  
 lopem, ozænam, faciei Erysipelas, Palpebrarum fistulam, quæ  
 hordeolum, lupiam quæque amaurosis comites habebant. 5º. *Ab*  
*ipso durationis tempore. 6º. Tandem à morbi felici vel sinistro even-*

*nū.* Hæ sunt præcipuae, quas hæc tenus novi fistularum lacrymaliū differentiæ.

## §. XI.

Si nunc, quæ fusiū de fistula lacrymali affectaque parte hæc tenus diximus, iisdem morbis, cum quibus aliquando confundi solet, comparabimus, patebit fistulam lacrymalem, cum sit facci lacrymalis sinuosum callosumque ulcus, cuius præcipuum symptomā purulentarum lacrymarum per puncta lacrymalia regurgitatio, hisce characteribus à similibus morbis differre. Distinguuntur enim 1°. ab Epiphora sive oculo lacrymante, quod hæc sit relaxatæ, irritatæ & inflamatæ glandulæ lacrymalis vitium, lachrymis limpidis supra genas cadentibus nullo circa angulum majorem apparente tumore, nullaque cum lacrymarum, dum oculi canthus major digiti apice premitur, regurgitatione combinatum. 2°. à Lippitudine sive glandularum Meibomianarum inflammatarum ulceratarumve morbo, ubi lacrymæ, harum organa secretoria, viæque se secundum naturæ leges habent. 3°. Ab Anchylope, quæ cutis circa oculi majorem canthum tumor inflammatorius fistulæ lacrymalis plerumque prodromus vel comes est. Nam si hæc inflammatio simplex est, non regurgitant lacrymæ, dum locus affectus premitur. Hoc autem si contingit ac Lacrymæ purulentæ profluent, jam fistulæ Lacrymalis nomen meretur. 4°. A Sacci simplici obstruzione. Hic morbus tumorem ejusdem cum cute coloris suscitat, qui pressus viscidas, sed limpidas, non autem purulentas lachrymas per alterutrum punctum lacrymale effundit. Simplex ergo facci dilatatio, obstructiove immerito pro fistula lacrymali habetur tractaturque. 5°. A Sacci lacrymalis callo, ductuum lacrymalium, horumque orificioverum morbis. Prior specilio, suâque duritate manifestat, hinc, si nulla simul præsens facci lacrymalis ulceratio, vel purulentarum lacrymarum regurgitatio adsit, fistulæ lacrymalis nomen obtinere non potest. Postiores autem solo intuitu cognoscuntur, & à dictâ fistula facilè distinguuntur. 6°. ab Ozœnâ, quoniam hæc est foecidum, mali moris odorisve, membranæ

Schneli-

Schneiderianæ ulcus , neque saccum lacrymalem , nisi eadem labore affectus sit , respicit . 70. à *Cancro* , qui durus , dolens , malignus & tunc resistens cutis anguli oculi majoris tumor est , pressus , nunquam lacrymas reddit , ac à quacunque causâ irritante gravissimis suis symptomatis crudelissime sœvit , aliquando per plures annos , si intactus relinquitur , eodem manet in statu , sed levissimo applicato remedio sœpe subito in ingentem molem crescit , sanguinemque fundit , ac denum ulceratus nullam amplius medelam accipit .

## §. XII.

Quid fistula lacrymalis sit , ubinam sedem suam figat , quæ partis affectæ sit structura functione , quomodo hæc pars , ac quibus de causis , associatur , fistulæ lacrymalis diversas species , ac quibus characteribus ab aliis similibus morbis distinguntur , iam declaravi . Nunc autem hujus fistulae nec non ejus causarum in subjectum cognitum agentium effectus indagandi examinandique sunt , ex his enim non difficile erit morbi quem tractamus diagnostin , prognosin , ac quæ curam ipsam attinent , depromere . Hos nunc effectus eo ordine quo sibi mutuo succedunt , unus alterumque sequi solet recensabo , hinc quos §. 2. num. 6. jam recensui , hic iterum repeterem illorum series me cogit . Sunt autem hi effectus facci lacrymalis ulterior dilatatio , obstructio , inflammatio , corrosio ; puris & lacrymarum confusio ; posteriorum impeditus ad nares transitus , regurgitatio ad superiora , stagnatio harum in ipso loco affecto , ab acquisita hinc acrimonia cutis & palpebrarum circa angulum oculi majorem inflammatio , tumor , rubor , abscessus , ulcus , callositas ; Carunculæ lacrymalis , membranae conjunctivæ inflammatio , rubor , tumor , dolor , ardorisque sensus . Lacrymarum sordidarum supra genas defluxio , harum acrimonia cutim excoitans , frequentes anchylopes , abscessus , Erysipelas & ulceræ , ossis unguis , cellularum ossis Ethmoidis , ossis maxillaris & spongiosorum narium corrosio cariesque . Membranæ Schneiderianæ inflammatio ulceratioque ; visus aliqualis hebetudo ,

&gt;

do, oculi debilitas, ac quæ ex recensitatis oriri possunt mala. Quædam horum symptomatum rarissimè, quædam semper apparent, solent tamen in verâ ac perfectâ fistulâ, præsertim si in veterata est, recensitorum symptomatum pleraque adesse. Hæc posteriora cum in ornati subjecto fistula lacrymali laborante semper adfint, hujus morbi signa *diayvōsina* constituant. Cuncta hæc symptomata sunt effectus suarum causarum; Ac plerunque à spissis vel acribus lachrymis, variolosa pustulâ, ulcere circa patentia ostia, ductuum lacrymalium, sacci lacrymalis dispositione inflammatoria, hujusc obstruktione ulceratione oriuntur. Aliæ quoque §. 9. jam recensitæ cause aliquando hos effectus producere possunt.

## §. XIII.

Ubi itaque quædam, vel plerique §. 9.<sup>o</sup> & 12<sup>o</sup>, enarratarum causarum canalem nasalem obstruxerunt, vel ulceraverunt, in omnibus hoc morbo laborantibus subjectis ab initio exiguis inter oculum nasumque tumor apparet ejusdem ac cutis coloris, planus, qui doloris expers est, ac prementi digito parum cedit; hic morbus, si simplex sacci lacrymalis obstrutio est, lentes, viscidas glutinis instar tenaces lacrymas, dum premitur per alterutrum punctum lacrymale eructat. Si vero saccus lacrymalis jam ulceratus, ulcusque fistulosum factum est, non tenaces, nec limpidas amplius, sed turbidas ac purulentas pressus tumor per patens punctum lacrymale inferius evomit lacrymas, haec, si valde acres corrosivæque sunt, cutim, saccum lacrymalem ac subjacentia ossa corrodunt, dum lividi plumbeique coloris cutis exiguo foramine simul pertusa est. In quod, si specillum admittitur, perceptus sonus asperitasque, vel si patula ad nares via, aut ulcus cutis sanguinosum callosumque est, os unguis, vel aliud vicinum os cariosum detegunt; quando autem hæc nondum animadvertuntur, cutis verò frequenter inflammatur, ac frequentes Anchylopes observantur, tum simplex sacci obstrutio in veram fistulam, quam ossium caries sequi solet, degenerat, ac sensim, que modo descripsi signa apparebunt. Tandem per Anellianam puncto lacrymali inferiori adaptata-

adaptatum Siphonem liquor in saccum lacrymalem injectus nos docet, an liberè transeat ad narium cavitatem, ac æger, dura hoc sit, aliqualem titillationem in naribus percipiat, quibus in casibus liberum esse hunc saccum apparer. Si autem dictus liquor immutatus per superius punctum lacrymale cum levi titillatione reddit, simplicem facci lacrymalis obstructionem hunc morbum esse ostendit; si verò, dum saccus injicitur, nulla titillatio persentitur liquorque injectus una cum majore minoreve puris copia, non per nares, sed per superius punctum lacrymale exit, atque post absolutam hanc Encheiresin pressus tumor eadem fluida per punctum lacrymale inferius ejiciat, hic morbus vera ac perfecta fistula lacrymalis est; ex datis omnibus hisce signis distincta, vera, & nunquam fallax, certa hinc fistulae lacrymalis *diagnos̄is* habetur.

Pleraque horum signorum illa, quæ à Practicis Pathognomonica vocantur, constituant, ac præsentem vel futurum morbum, hujus initium, progressum, statum, naturam, gradus speciesque quam luculenter ostendunt. Silentio prætereo cætera signa diagnostica, quia illorum in præcedentibus Thesibus mentio locuples facta est.

#### I. X IV.

Ex iisdem fontibus, à quibus fistulae lachrymalis diagnosin hau- simus, prognosis quoque petenda est. Variant inter se morbi pro varia illorum natura, causis, accidentibus, temporibus, sub- jectorum idiosyncrasia, affectæ partis structura & functione. Harum rerum consideratu dignissimarum discrimen universæ prognoseos quasi Cardo ac fundamentum est, qui tota futuros morborum Eventus præagiendi scientia innititur. Solet haec Medicinæ pars Medico, si illam probe callet, summo honori, ægrotantibus autem haud exiguo emolumento esse, hinc mini- me in Praxi negligenda est. Scire itaque nostra refert, quid de fistulae lachrymalis exitu in genere sperandum vel metuendum sit, dein cujusque fistulae exitus in specie considerandum se se præbet; quod fistularum prognosin in genere spectat, scimus

nullam perfectam fistulam lachrymalem sibi relictam naturae ope & beneficio medelam accipere; nam talis vel in eodem statu manet per integrum ægri vitam, vel in pejus malum degenerat. Nonnisi rarissime necem infert. Unicum sed grave hujus rei exemplum Nofodochium Parisiense mihi exhibuit; & hoc quoque in casu sinistre potius peractæ Operationi, quam ipsius morbi vi rara haec mortis causa erat adscribenda. Hinc periculo quidem vacat hic morbus, non verò insigni molestia. Perfecta fistula lachrymalis rarissimè solis medicamentis, aliquando levioribus auxiliis Chirurgicis, plerumque tamen ipsa operatione tollitur. Cura haec est perfecta vel imperfecta, facilis vel difficilis, brevis vel longa, cum aliquo vel nullo post se reliquo incommodo. Si per peritum Ophtalmojatrum tractatur fistula, haec fere semper intra 6. vel 8. septimanas ita perfectè curatur, ut nullum præteriti morbi vestigium, nullum prorsus incommodum, nulla palindrome vel recidiva metui debeant. Et haec quidem est generalis fistulae lachrymalis prognosis.

## §. XV.

Specialis autem singularum harum fistularum prognosis ex sequentibus patebit. Simplex facci dilatatio facilius quam ejus obstructio curatur. Hujus iterum expeditior leviorque cura est quam ipsius fistulae. Haec quoque si a levi causa oritur, simpliciique facci ulceratione constat, atque nullis gravioribus stipatur symptomatis, citius medelam admittit, quam illa, quæ à gravissimis violentisque causis, aut prægressis vel præsentibus morbis gravioribus, originem suam trahit, vel ubi os Maxillare superius carie corrosum, aliudve vehemens symptoma istius fistulae comes est. Recentium fistularum in corpore Euchymo cura iterum expeditior est & facilior, quam illarum fistularum, quas contraria omnia comitantur.

Caries ossis maxillaris utplurimum à labo venereâ, scorbuticâ vel aliâ productur, hinc pertinax, solitamque sanandi methodum respuens morbus est, nec adeo frequenter accidit. Unicum inter multos alios fistula lachrymali laborantes ægros vidi. Erat hic

Hic Praefectus Invalidorum sic dictorum militum Martis Veterisque  
 castra pari strenuitate secutus, qui tandem furtivam amoris turpidissimas  
 dedit penas. Nam Ozenam summe fætentem, ossis maxillaris tam su-  
 perioris quam inferioris nec non ossium palati cariem cum variis hinc  
 inde in facie propullantibus pustulis, ipsamque demum fistulam lacry-  
 malem passus, per biennium & ultra miserè decubuit, ac tandem  
 facta, post adhibita antivenerea omnium cariosorum ossium exfolia-  
 tione, amissis ex parte naso, palato, nec non ipsius faciei parte  
 aliqua, à fistula & reliquis symptomatibus liberatus est. Aliam  
 memoratu dignam hujuscemodi morbi historiam suppeditavit, viden-  
 dique ansam mihi præbuit Vir Clariss. Stehelius, almæ hujus uni-  
 versitatis Professor Physices meritissimus, hospes & Præceptor  
 meus semper colendus, in muliere rusticâ duplice fistula sinistri  
 oculi laborante, quarum una saccum lacrymalem, altera verò pal-  
 pebræ inferioris ejusdem oculi angulum minorem obsidet; ambæ  
 pressæ fundunt copiosum album mediae consistentiæ pus, quod  
 etiam per nares dum haemunguntur, exit, adeo simul maxilla  
 inferioris quedam immobilitas, nam ægra os non omnino aperire  
 potest, vi autem diductis ope ligni crassi sculi à se invicem ma-  
 xillis, oreque sic aliquatenus patente, universam fere palati super-  
 faciem ulceribus cancerosis plurimis refertam esse vidimus, confertiores  
 sunt in parte sinistra quam in dextra: apparuit quoque in extremitate  
 buccæ sinistram tumor albus qui cum premitur, pus quoque fundit. Ge-  
 na sinistra affecta non sine dolore tangi potest, flaccida simul, lurida ac  
 quasi contusa est. Musculi qui ossi Zygomatico, ossibusque ma-  
 xillarum tam inferioris quam superioris incumbunt & inseruntur, scilicet  
 musculi faciei, Masseter, pterygoideus externus & internus acri salte  
 pituita imbuti ac inde immobiles facti functionem suam amiserunt.  
 Annojam, cum ægram invisebam, existente morbo ab ulceratione  
 oris incepisse referebat eadem, morbum, qua neglecta à Chirurgo  
 quadam vicino plurimas sibi ex palato carunculas tandem cultro  
 extractas fuisse, ipsumque præter purgantia nihil adhibuisse. Aliud  
 exemplum fistulae lachrymalis scrophulosa, ubi os maxillare quo-  
 que cariosum fuit, refert spectatiss. Præceptor meus D. St.  
 Yves in eleganti tractatu de oculorum morbis. Hujusmodi fistu-

Ita, quia ossis maxillaris cariosi exfoliatio longum tempus requirit, magni moliminiis cura est, neque semper ex voto succedit, ut id tristi patuit Exemplo quorundam ægrorum, quibus ad hanc cariem destruendam cauterium actuale fuit applicatum, qui hæc ipsa operatione sinistre, per dexterimos licet Viros, administrata, usu oculi affecti privati fuerunt. Quæ igitur fistula ab hujusmodi quâdam labe vel à Polypo narium aut Ozœnâ oritur, difficultè, ac nonnisi post curatōs hosce morbos antecedentes saturatur. Pertinax quoque neque semper perfecta cura est harum fistularum, quando lacrymarum, glandulæ lacrymalis, palpebrarum, vel ductuum lacrymalium via quædam adsunt, quia curatæ oculum lacrymantem, nisi id curantis industria præcavetur, post se relinquere solent. Pessimæ autem indolis carcrosa fistula est, atrocem hanc fistulam, si unquam contingit, sibi relinquendam esse, hujus morbi unicus Observator Riverius optimè monet. Si post peractam operationem sinus aut festuca aut caries quædam cellularum, ossis Ethmoidis vel osseum spongiorum, narum, aut ulcus quoddam membranæ Schneiderianæ fascique nasalis relinquitur, solent hi morbi recidivam inferre. Omnes nunc, quantum memini Agilopis eventus generales specialesque recensui; De aliis in prognosi necessario notandis, quæ hic omisimus, dabitur nobis ansa in ipsa morbi cura, quæ jam nobis recensenda est, differendi.

## S. XVI.

Absolutis iis rebus, quæ fistula lacrymalis Theoriā spectant, ad mali hujus curam me verto. Hæc, ut in S. 2. No. 8. præfatus sum, est vel medica, vel chirurgica, facilis vel difficilis &c. Cæteroquin pro fistulæ vario statu, naturâ, causis, harum effectibus, accidentibus, durationis tempore, mali ipsius gradibus, nec non ægrorum Idiosyncrasia differt. Ut mille sunt mali species, sic mille quoque salutis erant. Quando igitur fistula lacrymalis in suis adhuc incunabulis latet, dum hic morbus levis facci lacrymalis obstructio vel ulceratio est, curatur 1º. Infuso foliorum veronicae, quo tepido oculus saepissime irrigatur. Mirum est quam efficax sit simplex hoc medicaminis genus. 2º. Apti liquidi

Liquidi in saccum lacrymalem injectione mediante Syphone Anelliano debito modo & sè facta. Injiciendi Encheirelis hæc est. Ægri in sella sedentis caput paullulum elevatur, dum ad ægri latuſ ſinistrum ftans Chirurgus ſinistro Brachio ſi dexter, dextro autem ſi ſinistra oculus affectus ſit, ægrotantis occiput ſuſtentat, ſimulque pollice ejusdem manus palpebram inferiorem paululum deprimit, alterâ vero manu indice in annulum, quo Syphonis Embolus armatur, immiſſo, pollice & medio digito Syphonem apprehendit, ac perpendiculare ferè direktione Syphonis tubulum patenti hâc arte ductus lachrymalis inferioris orificio dexterè inſerit, poſtea Syphonem paulò inclinat, direktione perpendiculare in horizontalem mutata, ſic levi emboli annuli preſſione per immissum digitum inſidem facta, liquorem contentum artificiè per ductum lacrymalem inferiorem in ipsum ſaccum lacrymalem propellit, his peractis Siphonem iterum ab oculo dexterè removet, ac injeſtum in ſaccum liquorem, qui ipſo injeſtionis momento per punctum lacrymale ſuperius, vel per inferius ſacci in nates hians orificium non rediit, levi digiti inſidis ſupra tumorem facta preſſione expellit. Saccus lacrymalis ter quaterve ſic alternati dicto liquore implendus & evacuandus eſt, quod ſingulis diebus ad minimum ſemel peragi debet, ut ſpatium injeſtionis ſcopum attingat Chirurgus. Quod ipſum ſpectat liquorem injiciendum, quivis ophthalmologater peculiarem habet; Nos autem in omnibus ſubjectis non eodem liquore utendum eſſe conſemus, quia hic pro vario ſacci lacrymalis morboſo ſtatu, varius quoque eſſe debet. Aliquando ſimplex quædam aqua ophthalmica exigua quantitate Camphoræ imbuta, ſubinde aqua calcis, quandoque verò alijs liquor corroborandi, detergendi, consolidandique vi pollens, profuit. 30. Specilli anelliani per punctum lacrymale ſuperius ad ſaccum lacrymalem introductione. Hæc eſt decantata illa Anelliana fistulas curandi methodus, quâ Serenissimi Regis Sardiniae defunctam matrem fistula lacrymali laborantem curavit. Methodi hujus inventionem Clariss. Stahlius ac citatus Anellus ambo ſibi adſcribunt. Magnam ſuę famę celebratatem hâc methodo Anellus

per Italiam Galliamque adeptus est, frequenterque adhibita est primis inventionis temporibus, sed cum suis incommodis haud careat, nec in omnibus subjectis institui possit, nec absque summa industria dexteritateque administratur, hodie ferè oblivioni tradita est.

Sic volvenda ætas, commutat tempora rerum.

Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore

Porro aliud succedit, & contemptibus exit, Lucret. L. V.

### S. XVII.

Altera incipientis Ægilopis species facci lacrymalis dilatatio est. Hæc quoque curantium torsis ingenia. Varia excogitarunt instrumenta pleraque vana & nociva, quibus affectum locum compitare summoperè studebant, sed per plures annos sic pressus faccus lacrymalis morbum aliter non mutavit, nisi quod è simplici facci obstructione hæc methodo morbus in perfectam fistulam degenerare soleat. Alia igitur hujus morbi cura instituenda est; haec absolvitur. 1º. Infusi foliorum veronicæ usu. 2º. Liquoris cuiusdam corroborantis leviterque adstringentis diligentie injectio-ne. 3º. Sedulo tumorem apice digiti premendo. 4. Applicatis simul externe medicamentis corroborantibus dilatatas partes, si his auxiliis malum non cedit, in veram fistulam degenerare soler, ac ut talis tractandum est. Simili prorsus methodus facci lacrymalis Herniæ, Hydropiq[ue] medetur.

### S. XVIII.

Quando autem præcedentium usus curantis ægrique spem elu-  
fit, ac morbus in perfectam fistulam jam mutatus est, operatio chi-  
rurgica ultimum opitulantis decumbentisque refugium erit. Ne-  
mo vero hanc aggrediatur nisi perspectis prius morbi causis, na-  
turâ, symptomatibus & ægri constitutione; nam horum debita  
consideratio operationem præcedere & comitari debet. Famæ  
sue prudenter consulens Ophthalmojater earum fistularum, quæ  
suapte naturâ insanabiles sunt, vel quæ sanatae graviores morbos  
pariunt, magni Hippocratis moniti memor curam non suscipit.

Si

Si itaque simul vitium quoddam glandulae lacrymalis adest, vel lacrymæ spissæ aut acres sunt, si denique aliis quidam morbus ut Rheuma capitis, faciei Erysipelas, Ophthalmia, palpebrarum inflammatio, tumor, &c. fistulæ se conjungit, vel ægrotantis corpus cacoehymicum est, unicuique harum circumstantiarum debitis medicamentis externis internisque pro rei exigentia administratis ante instituendam operationem prospiciendum est, horum & reliquorum Ægylopem concomitantium morborum curam hic lubens traderem, si anguli dissertationis cancelli propositusque scopus id permitterent, hos itaque ut curatos vel cognitos suppono, ac solummodo in præsens quæ ad ipsam operationem spectant, describam. Ubi igitur nullum symptoma, institui fistulae lacrymalis operationem prohibet vel differre cogit, corpusque ægri bene constitutum est, neglectis contra vulgi opinionem universalibus remediis hic minime necessariis, operatio sequenti modo peragitur. Sedentis ægri caput sellæ dorso incumbens paullum elevatur, ac comprehensa circa oculi angulum majorem cutis leviter tensa, (eadem ratione, quemadmodum in Phlebotomia fieri solet) unâ cum sacco lacrymali, inficto per lanceolam obliquo vulnera, à palpebris versus musculi orbicularis tendinem vergente, pertunditur, hoc vulnus immisso spongiae compressa frustulo dilatatur, primoque die super imposito emplastro spermatis Ranarum vel alio conveniente munitur, &c in alterum diem relinquitur: Quo hocce apparatus remoto, vulneris & subjacentis ossis unguis statum Chirurgus specillo & injectione iterum explorat; num adhuc ossis unguis caries vel foccus lacrymalis vulnera læsus sit. Postea ægro Chirurgoque in eundem situm, quo injectio instituitur, collocatis, Chirurgus una manu ægri caput sustentat, altera autem specillo fortiori, vel instrumento quadam tricuspidali à Gallis Troicart vocato, os unguis caute perforat, quod artificium in eo consistit, ut rimo cognoscatur locum, quem os unguis occupat, ne imprudenter os planum prioris loco pertundatur, vel instrumentum ossis maxillaris Apophysi nasalí frustra impingat; quis hocce os ita facile perforari non potest, prior vero casus non vacaret periculo, zdd ut obliquo ductu instrumentum

spiculum perforans ita dirigat, ne ossa spongiosa vel aliae partes  
 matrum laedantur, ex quibus gravis morbus oriri posset. Debet  
 autem instrumentum ita dirigi, ut ejus apex perforato osse un-  
 guis inter utramque laminam spongiosam nisi medium locum  
 obtineat. Hisce cautelis adhibitis æ gri nares cohibet Chirurgus,  
 æ grumque spiritum ducere jubet, sic per vulneris aperturam aër,  
 sanguis & pus si egrediantur, docent, an rite instituta sit opera-  
 tio an secus? Quando hisce signis constat liberam esse ad na-  
 rium cavitatem viam, hanc pro virili conservare studet Operator,  
 immisso hinc in vulnus frustulo ligneo cuneiformi factam apertu-  
 ram parum dilatat, ac imposito emplastro vulnus hoc ipso die ope-  
 rationis in statu sibi relinquit, sequentibus diebus idem per tu-  
 rundas ex linteo cerâ imburo factas præstare conatur,  
 quas tertio quoque die mutat, sensimque crassiores adhibet, dein  
 eadem proportione tenuioribus paulatim iterum utitur. Crassis-  
 sima calami scriptorii crassitatem refert, ab hac æquali propor-  
 tione distant turundæ, quæ primis vel ultimis curæ temporibus ad-  
 hibentur; his mediantibus turundis libera novaque para-  
 mis via, ossium corruptæ partes nullo adhibito igne, quæ aeger  
 valde abhorret, qui que sœpe gravia damna producit, ante se-  
 cedunt, fitque ipsa opitulante naturâ optima ulceris facci lacryma-  
 lis detercio, mundificatio & consolidatio, modò Chirurgus sus-  
 peritia hanc juvat. Dum asperitates omnes, ossiumque occur-  
 rentes festucas, hoc ipso curationis tempore destruit vel auffert;  
 sinus si quidam adsit, forifice aperit, membranæ Schneiderianæ  
 ipsiusque facci lacrymalis ulcera lapidis infernalis repetita circa  
 curæ finem applicatione consolidat. Quoties vulnus deligatur,  
 toties aeger cohibitis naribus, misuque retento hic loci acre,  
 stagnans pus expellat, Chirurgus autem novam turundam non  
 nisi oleo prius inunctam in hiatum efformatum intrudat, ac  
 supradictum emplastrum imponat. His caute & feliciter per-  
 actis tandem turundâ abstinet, vulnerisque consolidatio solo em-  
 plastro promovetur, quæ intra paucos dies absolvitur. Sic ple-  
 ræque fistulæ lacrymales intra 6. vel 8. septimanas optimè ple-  
 gumque curantur. Egylopes quæ ob adjunctam malignitatem  
 incu-

Incurabiles sunt, palliativam quandam curam admittunt juxta ver-  
siculorum sequentium præcepta.

Requiem tamen indere morbo  
Fas erit, & tristem saltem mulcere dolorem.

## §. XIX.

Scopus itaque hujus operationis triplex est. 1º. Sinus om-  
nes, ossium caries qualiscunque, nec non occurrentes fistulae  
destrui vel eximi debent. 2º. Sanandum est ulcus sacci lacry-  
malis. 3º. Solita lacrymarum via, quia obstructa vel potius  
ex parte destructa est, oblitterari hujusque vice nova parari de-  
bet. Hæc nova via inter utramque laminam spongiosam na-  
rium suum locum habet, æque libera ac veteri multo brevior  
est, hinc non ira facile obstructur, nec, ablatis femel, quæ au-  
ferenda sunt, ullus denuo recidivæ metus superest. Hæc omnia  
an ex voto sint peracta, repetitæ circa cure finem ac post cu-  
ratum morbum injectiones congrui liquidi ostendunt. Dum hoc  
in cavitatem penetrat. Sed alium simul scopum pru-  
dens operator assequi studebit; nempe quomodo præsentibus vel  
post curatum morbum relicitis quibusdam symptomatibus open-  
ferat. Hisce symptomatibus occurritur, si quodvis suo debito  
modo tractatur. Concomitantia symptomata varia esse possunt,  
quorum recensio nimis prolixa foret. De præcipuis saltem se-  
quentia monenda esse existimavi. Nempe si quædam inflam-  
matio oculi vel faciei Erysipelas ab ipsa operatione ortum est,  
ei demulcentibus aliisve Antiphlogisticis remedii medelam af-  
fert, interim neque novam turundam immittit, sed intrusam  
immutatam relinquit, quia tali irritatione malum augeretur.  
tepidæ potius aqua vel decoctum radicum Altheæ, quæ duo re-  
media egregia hoc in casu sunt, in usum vocentur. Ubi acris  
copiosaque fit humorum ad affectam partem defluxio, quæque  
contingit vel ante vel post operationem, in illo casu prius cu-  
randa est, in hoc vero sibi peculiarem methodum medendi re-  
quirit. Si os maxillare simul cariosum est quod tamen rarissime  
contingit, ipsius caries quoconque modo tamen prudentissime  
D. de-

destruatur. Fistulae lacrymalis curam plerumque sequitur partium affectarum debilitas, ex qua Epiphora oritur, que tamen confortante aliquo Collyrio, quo glandulæ lacrymalis, oculi & facci lacrymalis laxatae debilitatæque fibræ iterum corroborantur, plerumque facilè curatur.

## §. XX.

Simplex hæc, tuta, vix unquam fallax spectatissimi Praeceptoris mei Dom. St. Yves fistulas curandi methodus omnibus aliis hactenus usitatis ideo præferenda est; quia juxta Celsi præceptum citò, tutò & jucundè juvat, quod ipsum antequam finem huic dissertationi imponam demonstrare satagam. Hoc tamen quia absque comparatione accurata cum aliis hactenus usitatis & à Viris etiam celeberrimis commendatis methodis fieri haud potest, tanto magis à me rogandi sunt Viri laudati, ne quæ à me veritatis amore proferentur, tanquam invidiosa, vel tanquam studio famæ detrectandi ipsorum prolata accipiant. Egylops aut nascens aur adultus est morbus. In nasculo plerique Chirurgorum præcinctente ipsis Dione spleniis minoribus triangularibus comprimentibus utuntur, quidam vero instrumenta comprimentia adhibent, omnes partem affectam comprimere student, in hoc autem negotio lassam partem contundunt, offendunt, irritant, sic varia incommoda ipsimet procurant. Anellus specillo argenteo obstructas lacrymarum vias expeditas reddere conatur. Wolhouſius, verò affluentes humores à morbosâ parte ad alias allicere setaceo tentat. Prior aliquando dicta methodo leve malum licet non absque labore industriaque curavit, quandoque vanam eandem esse expertus est. Posterior verò hujusmodi irritantibus remedii cruciatus doloresque ægris excitavit, dum parum interea vel nihil proficeret. Citatus Wolhouſius Blepharotomiam sive oculi scarificationem commendat, sed qnæſo, quid hæc, nisi pernicioſas oculi inflammationes producere potest. De Wolhouſianâ itaque methodo idem quod Vir quidam celeberrimus de infiſione variorum sensit, judico:

Dum

*Dum scis tua arte sanis producere morbum  
Felix semper eris, si illum quoque tollere possis.*

Cuivis itaque consideranti, quæ §. 16. & 17. de Praeceptoriis mei methodo dixi, patebit illam modo memoratis esse anterendam. Eadem prorsus ratione claret, modum, quo experientissimus Vir St. Yves adultum malum tractat, palmam quoque præ cœteris usitatis modis mereri. Ægylopem enim non ut veteres & plerique moderni jubent, igne, violentissimo rerum omnium destructore aggreditur, nec superfluo & damno medicamentorum instrumentorumque molesto apparatu ægris terorem metumque injicit; blandius illos, licet non absque omni dolore curat, optatumque scopum eò facilius attingit, quod minus ejus ægri vexantur. Quid pomposa illa deligatio? Quid molimini plenaque complicatorum linteorum impositio? Quid fasciarum mira, ridicula tamen circumvolutio prosunt? Ægris non solum molestiam, sed aliquando ipsam cœcitatem afferunt; accidit me hoc Hortulanus quidam Parisiensis, qui hujusmodi ængulationibus incurabili amaurosi corruptus est. Quād horrenda sunt ignita instrumenta vel solo aspectu? Ut de summis doloribus, quibus ægri sic excruciantur, nihil referam, etiam ex iis, qui eosdem fortiter pertulerunt, fuerunt, qui miserè visum amisere. Wolhusiana Cannula plumbea naribus intrudenda, ibidemque relinquenda quid boni praestabit? Ab illabentibus perpetuò liquoribus æruginosa fit ac sensim corrodetur, vel ad fauces ac ipsum stomachum cadet, cæteroquin quas tanget partes iis callum inducit. Hæc sunt commoda cannulae Wolhusianæ! Qui ultimò tandem operatione Ægilopis peractâ uniuersis medicamentis partium affectarum uleus detergere consolidaque stident, hi calore partium liquefacta unguenta ad nauis seabundas fauces & stomachum mittunt, hæcque ratioue ægris molestissimum fastidium pariunt. Liquet igitur propositam à me Ægilopem curandi methodum cœteris omnibus memoratis esse in tantum antehabendam, quod cunctis recensitis incommodis careat, dum interea simul citò, tutò & jucundè æger & malo liberatur.

Hæc

Hæc sunt, Bénevolè Lector, quæ speciminis loco de lacrymatione fistula proponere volui, æquo tuo judicio submittens, ut experientia & ratione duce dijudices, num proposito scopo satisfecerim, vel si mavis satisfacere studuerim? in eo autem facile haud discrepabis, si ad circumspectæ experientiæ tribunal thematis pertractionem examinaveris, me & Præceptoribus Viris clarissimis usum, qui medendi viam optimam perscrutati candidè Philiatris tradere solent, meque eorum monita pressæsecutum, & diligenter sententias explorasse, ut salutaria ægris consilia aliquando præbere queam; si quæ fortasse desideres quoad styli nitorem, largiar non difficulter, me potius intentum fuisse, ut clare animi cogitata exponerem, de elaboratione styli non adeò itaque sollicitum; si quæ occurrunt vel praetermissa à me aut minus diligenter recensita, conatus meos ut benevolo interpreteris animo, obtestor, primi sunt impetus juveniles.

**F I N I S.**




01 A 6551



f  
SL

WMA





2

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>  
MEDICO - CHIRURGICA INAUGURALIS  
DE  
**FISTULA LACRYMALI**  
DUCE ET AUSPICE NUMINE SUPREMO  
Decreto & Authoritate  
**GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS**  
**ACADEMIÆ BASILEENSIS**

Pro summis in Arte Medicâ Honoribus & Privilegiis  
Doctoralibus rite consequendis

*Solenni Philiatrorum Examini  
submitter*

**JOH. CASPARUS SCHOBINGERUS**

Sangallo - Helvet.

Ad Diem 31. Aug. MDCC XXX. Horis Locoque consuetis,



BASILEÆ,  
Typis JOH. HENRICI DECKERI, Acad. Typogr.

